John Crawford,
M. D.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

RICHARDUS RYAN,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque ſolitis.

In rebus quibuſcunque difficilioribus non expectandum, ut quis ſimul et ferat et metat, ſed præparatione opus eſt, uti per gradus matureſcant.——Bacon. Nov. Organ.

Μεγας πιπτει ὁς Μεγαλως πιπτει.—Longin.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M DCC XCIX.

Crawford

Viris optimis, patruiſque ſuis dilectiſſimis,

RICHARDO ET GULIELMO RYAN,

Sibi ſanguine quidem arctiſſimè conjunctis,

Vinculo autem certiore, curâ et benignitate,

Semet ſuoſque fratres, perpetuò devincentibus;

Huic in Medicina,

Illi in Legibus

Juxta, et doctiſſimè eruditis,

Utriſque cuilibet rerum anguſtiâ impedito,

Fructus ſtudiorum plenâ manu diſpertientibus;

Quorum monita,

Non ſolùm in moribus, ſed etiam in literis,

Jam inde ab infantili ætate hauſit,

Et quibus quicquid in vita bene peractum,

Acceptum referre debet,

Haſce ſtudiorum primitias,

Exiguum quidem, ſed grati animi Teſtimonium,

Sacras vult

AUCTOR.

Vir bonus, omne forum quem ſpectat, et omne tribunal,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Da ſpatium vitæ, multos da, Jupiter, annos;
Rari quippe boni; vix ſunt numero totidem, quot
Thebarum portæ, aut divitis oſtia Nili.

Necnon

Viro eximio,

GEORGIO KEATING, M. D.

Cognato, et artem ſalutiferam Limerici

Diu feliciter exercenti;

Ob plurima beneficia in me collata:

Denique

Fratri chariſſimo,

GULIELMO RYAN,

Dublinienſi,

Juris legumque admodum perito;

Qui occupationi quam exercet liberali,

Ni fallor, ſi Hibernia valeret,

Decori foret;

Facilitatem propter, qua nobis impertitus eſt quæcunque ætas, fortuna aut ingenium ſibi ſuperiora præbuerunt,

Hocce opuſculum

Qualecunque ſit,

D. D. Cq.

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO.

AUCTORE RICHARDO RYAN.

NATURAM cauſaſque morbi cognoſcere, ſi rationem medendi perfectam reddere vellemus, imprimis neceſſe eſt. Aliter prorsùs empiricè tentamina quaedam periclitanda ſunt, priuſquam ad veram medelam pervenire poſſumus. Maximè, autem dolendum eſt, morbi, de quo agitur, adeò incertam eſſe naturam, ut ſolâ experientiâ remediorum, quae ad levamen ei afferendum utilia comperta ſunt, inſiſtere cogamur.

Paucis quidem veterum medicorum hic morbus notus fuit; ſive quia homines vitas ſimpliciores olim degebant, ſive potiùs quia morbi indoles tunc temporis vel omninò ignota, vel cum aliis complicata fuit. Galeno ipſi talem morbum bis ſolùm occurriſſe dicitur; unquamnè verò illi morbum ipſum videre contigerit, dubitandum eſt, quia ſolum urinae fluxum auctum commemorat. Veteres inter ſcriptores Aretaeus omnia ferè ſigna breviter et concinnè adumbrando, palmam procul dubiò mereri videtur. Laboribus autem Williſii, urinae dulcedinem morbi hujuſce indicium eſſe debemus. Verum noſtro ſeculo, hunc, ut et multos alios morbos, diuturnâ caligine immerſos, in lucem proferre contigit. Cullenus, medicorum facilè princeps, in verba nullius magiſtri jurare addictus, ſed propriis pedibus firmiter inſiſtens, jurè opinari eſt inductus, morbum universi corporis non oriturum ex parte, niſi talis momenti, ut vitium ejuſdem aliquod, ad parem affectum totius inducendum valeret. Tali duce viam praemonſtrante, Dobſonus et Rollo, morbi hujus no-

titiam

titiam multùm auxerunt: et quamvis horum opiniones de indole cauſiſque, nonnullis parum accuratae appareant, ſolamini haud parvo iis eſſe debet, quicquid de his rebus ſenſiſſe, rationi medendi, periculis iteratis ferè ſancitae, penitus arridere.

Tantummodò de unâ ſpecie, mellitâ ſcilicet, mihi in animo eſt diſſerere; et quia an altera ſit Diabetis nomine digna, dubitari poteſt, atque quamvis ſpeciem inſipidam et idiopathicam interdum apparuiſſe affirmetur, limites hanc inter et urinae profuſiones ſymptomaticas haud ſatis accuratè indicantur. Diabetes autem, Proteo ſimilis, tam varias formas induere poteſt, ut plena definitio ad ipſius hiſtoriae longitudinem produceretur. Idcircò cum Rollone ſic liceat mihi denotare: "Deſiderium cibi inexplebile, ſitis perpetua, urina aucta et ſubdulcis, pulſus frequens, calor parùm auctus, cutis arida cum marcore."

HISTORIA.

Morbus in omni terrarum orbis parte, ſaepius autem in plagis frigidis atque palludoſis exoritur. Omni vitae ſtadio accidere periclitatur, ſed hominibus aetate provectis praecipuè infeſtus videtur. Omne temperamentum ſexumque pariter adoriens, primò ſenſim furtimque obrepit, nulla ferè ſigna prae ſe ferens, ſi excipias potûs cibique deſiderium immodicum, et urinae excretionem ratâ parte auctam. Urina intervallis brevioribus redditur, ſine aliquâ aegri ſolicitudine, qui hanc urinae profuſionem auctam fluidis ingeſtis pro causâ aſcribit; et haud multò pòſt, cor et ventriculus opprimi videntur, ob ingeſta quae tam avidè ingurgitat: nihilominùs calor, ariditas oris, et mordax circa praecordia ſenſus plura adhùc ingerenda depoſcunt. Ineunte morbo, ſitis et urina pari paſſu progrediuntur, hâc autem ab excretione, illâ a ſatietate gradatim auctis, quaſi foedere icto, alia alteri opitulari videntur. Urina autem, quae adhuc potum vix excedere

excedere obſervatur, mox omnia ingeſta ſuperare incipit, donec quaſi vires uſu acquirens tandem res per os indie aſſumptas novem vel decem libris exuperat. Liquor ipſe non ſolùm copiâ ſed etiam colore et ſapore mutatur; modò infuſum tenue vegetabilium quae ſaccharum praebent, referens, modò adeſt color ferè nullus, odorve niſi mellis per aquam parcè diffuſi, aliàs verò violarum odorem emittit. Requie nil ferè in imo vaſi deponit, ſed interdum, vel pellicula oleoſa in ſuperficie ejus natat, vel nubeculae inſtar in liquore ſuſpenditur. Quoàd ejus chemicas dotes haud parùm diſtat ab excretione bonâ valetudine fruentis; infuſa vegetabilia caerulei vel rubri coloris minimè afficit, aquae calcis admiſta nil ammoniae extricandum, diſtillata nil ferè phoſphorici, nec alius ſalini praebebit; quorum vice maſſam ſacchari crudi, cujus ſapor mannae haud abſimilis eſt, et conſiſtentiâ aequè tenax ac viſcida, ad unciam ſeſquunciamve ex ſingulis urinae libris poſt evaporationem relinquit. Ex hâc, ſi acidum nitricum, exiguâ ſcilicet quantitate, diſtillatur, mel obtineri

poteſt;

poteſt; acido autem copiâ majori addito, acidum oxalicum formatur. Quinetiam urina non ſtatim in putreſcentiam ruit; ſed vinoſam fermentationem ſponte ſubit, unde alkohol obtineri poteſt. Deinde in acetum tranſit, et poſtremò putreſcit.

Dum urina has inſignes mutationes patitur, totum ferè corpus mali particeps evadit; nec jurè ſperandum eſt ſanguinem circumeuntem morbi immunem fore; * quoniam hominis ſani ſanguis, eodem modo quo diabetici ſitus, intra quatuor dies putreſcentiam attingit; diabeticus autem ſanguis, ſedecim diebus peractis, nondùm ſigna putredinis indicat. Tunica ejus coriacea colore purpureo, quaſi ex hydrargyri uſu, tincta, citò reſinae ſpeciem induit. Serum juſtam coaguli copiam adaequans, Rollone judice, ſaporem ſero lactis ſimilem, guſtui praebet. Et ſi unquàm fides hominibus res medicas inveſtigantibus debetur, Dobſonum aliquid dulcedinis in ſanguine percepiſſe, nobis credere licet.

Perpetuus circa lumbos dolor, ſecundùm vias

* Rollo's caſes of Diabetes, vol. 1. p. 6.

vias uriniferas ſeſe ſubinde diffundit, dum urina nec retineri poteſt, nec ſatis largè profluit, ſtillatim verò decidit, vim eam retinendi minuens, ſimulque dolorem eam reddendi ratâ parte augens. Urinae acrimonia haud rarò phymoſim efficit; at hujus phaenomeni cauſa neminem latere poteſt, nam nulla veneris cupido, inter primas hujuſce morbi notas, ſeſe oſtendit. Si quidem ut interdum accidit, uterlibet teſtis ſurſum retrahitur, ejuſdem lateris praecipui, artus inferior paralyſi oedematique proclivis fit.

Sitis nunc intolerabilis per oris ſenſilitatem augetur, nam ejus membrana ubique in rimas dehiſcit. Saliva albida viſcida et ſpumoſa fit, atque propterea quòd reſorberi nequeat, ejuſdem perpetuam rejectionem ſolicitat. Linguam ſapore ſubdulci necnon ſubacido ſaepe afficit. Similis ingratus et ſubacidus odor, è pulmonum et cutis halitu oriens, aegro ipſi et aſtantibus impertitur. Gingivae tumeſcunt, et rubeſiunt; dentes quaſi acuti evadunt, inque iis ſenſus, quaſi ab acidorum effectu proveniens, percipitur; fatiſcunt atque delabuntur. Interea temporis appe-

tentia

tentia cibi inexplebilis adeſt, ſed in utramque partem jam peccare incipit, unà cum doloris et caloris circa praecordia ſenſu, ventris murmure flatuve, et ructibus acidis cordiſque palpitatione frequenti. Globus per abdomen ſe volvens, et alia Hyſteriae ſigna, etiam in maribus, obſervationi quorundam ſeſe obtulerunt. Status ventriculi haud ſibi conſtat, namque aeger cibum nunc importunè appetit, nunc prorſus faſtidit. Morbo progrediente alvus plerumque aſtringitur, faeces albidae aut virides, ſub formâ plerumque globulorum apparent, nullum verò ingratum odorem naribus impingunt; dum cutis ad membranam pertenuem redacta, vel prorſus arida, vel ſudore viſcido madefacta, in rugas ſquamaſque abit. Crines undique, vel ſponte decidunt, vel abſque dolore avelli poſſunt. Cor et arteriae quae naſcente morbo, octagies vel nonagies primo horae minuto pulſum ediderunt; nunc celeriùs, infirmiùs, et plerumque intervallis inaequis, micant. Calor totius corporis intenditur, in volis autem manuum plantiſque pedum, praeſertim veſperi, ingraveſcit. Nec ipſum ſenſorium

hucuſque

hucùſque incolume manet. Ægrotus ſubindè ſuſpirare obſervatur, animo vario et mutabili, nunc vividus, mox autem ſtatui ſuo diffidens, ſibi peſſima fingit. Uno tempore omnia medicamina ut ſupervacanea reſpuit, et medici ſolicitudinem admiratur; mox autem, lethum ſuum ineluctabile credens, de aerumnis ſolus cogitat et ſic eas auget. Nunquàm non vigil, aurâ quâque leviſſimâ afficitur, dum urina et alia morbi ſigna characteriſtica, ea praecipuè ex ventriculo oriunda, inexplicabili quidem nexu, ſtatu animi reguntur; pari etenim ratione ac aeger ſpe erigitur, aut contrà dejicitur, omnia benè aut omnia infauſtè procedere obſervantur. Memoria viſuſque ſaepe hebeſcunt, aegerque, ſaepè immeritò, queritur de perpetuâ vertigine et capitis dolore. Dum haec in variis corporis functionibus geruntur, macies et debilitas, jam inde ab initio paulatim adorientes, poſtremò rapidè progrediuntur; hinc oedema crurum noctem verſùs; hinc quoquè aſcites, oriuntur; et ſi quando aeger urinam reddendo diu abſtineat, lumbi teſtes aliaeque vicinae partes intumeſcunt. Tumores hy-

dropici ſubitò accedunt et evaneſcunt, morbo primario et idiopathico minimè affecto. Si fortè ulcera aliave vitia corpus infeſtant, iis, difficillimè mederi poſſumus.

Talibus ſymptomatis, quùm aeger diù colluctatus eſt, ſiti et urinae profluvio immodico, quotidiè ingraveſcentibus; tota nunc humana compages labefacta, uno quaſi impetu corruit. Omnis pars extima collapſa et rugoſa apparet, venae pariter ac oſſium proceſſus eminent, illae numerari queant, et hi in locis quibuſdam, cutem pertenuem rumpunt. Corpus ſqualidum et macilentum fit. Oculi jamdudum nitore orbati nonnihil citrà orbitas protruduntur, luteoli aùt luridi fiunt; dum pupillae ſegniter ſeſe contrahentes, tota denique facies ſpeciem maximè lugubrem induit. Jamque cibi appetentiam adhuc inſatiabilem, omnis generis alimentorum faſtidium excipit, dum parci ſudores nocturni et omnia ferè hecticae ſigna ſuperveniunt. Hecticam autem, omni ex parte tam exquiſitè formatam, ac in Phthyſi pulmonali, haud expectare liceret. Una tantùm exacerbatio inſignis indiè occurrit,

et

et incerto tempore veſperi accedit. Genas utcunque antehac pallidas, maculae rubrae et circumſcriptae inter paroxyſmum diſtinguunt, et oculi nitorem vitreum adipiſcuntur. Calor tandem undique magis ſolitò augetur; et viſcera abdominis quaſi ardor occupat; poſtremò convulſiones ſupremum diem, tandiù ſperatum, miſero aegro accelerant.

INCISIONES CADAVERUM.

Cum ſedis effectuumque morbi cujuſlibet notitia, ad eundem amovendum plurimùm conferat, non mirandum eſt, in omni ferè aevo, cadavera ſcalpello inſpicere, uſitatum fuiſſe, tantòque diligentius quantò lethalior fuerit morbus. At ſectio cadaverum Diabeti minus profuit. Namque homines ſedem ejus praeopinantes, oculos ad hanc ſolam, aliis pòſt habitis, direxerunt; et ſic quiſque morbi cauſâ ad aliquam prae aliis partem relegatâ, tenebras quibus tandiù morbus immerſus fuit, adhuc haud diſpulerunt.

Unam

Unam igitur diſſectionem, quae anno ſuperiore in noſocomio noſtro, Rutherfordo eximio teſte, cui ipſe caſu interſui, et omnia quae obſervavit Profeſſor, et adſtantibus commonſtravit, fideliter enarrabo. Monendum tamen eſt, hic tantùm notabiliora quae illicò et quaſi ſpontè ſeſe obtulerunt, recenſeri; haud enim, quòd admodùm doluit, interiora exquiſitiùs ſcrutari ſiverunt temporis auguſtiae, cum cognati jam in funus convenerunt, priuſquàm corporis inciſionem vel inchoare conceſſum eſt.

Primùm notabile fuit adipis copia, quâ, ſub cuti quidem pertenui, tela celluloſa abundabat, quantum vix in corpore adeò macie uti videbatur confecto, expectare liceret. Abdomine patefacto vaſa ubique ſanguine turgefacta, ſolitò ampliora apparebant. Omenti praecipuè quamvis adipe onuſti, venae ſanguine lurido repletae, moles inter adipoſas eminebant. Ventriculus et inteſtina tenuia parùm aucta inveniebantur, horum autem tunicae, rete formoſum vaſorum, uſque ad extremos ramusculos, quaſi arte liquore rubro injectorum referebant;

hujus

hujus portionis tubi alimentarii, tunicae ſolitò craſſiores et molliores apparebant. Colon autem amplitudine auctum et aëre etiam ad extrema perflatum, in ſe reflexum, ſub hepate duplicaturam magnam formavit. Per tractum ejus tortuoſum, plurimi globuli faecum induratarum inveniebantur. Meſenterium in adipis copiâ, et in vaſorum amplificatione et turgeſcentiâ, omento ipſi ſimile viſum eſt. Glandulae ejus lymphaticae, mole pariter ac mollitie auctae apparebant, et multi plexus vaſculorum rubrorum ſuperficiem earum diſtinguebant. Hepar nec in colore nec quâvis re aliâ, niſi quippe ſolitò minus, aliquantùm diſpendii paſſum fuiſſe argueretur, morbum indicavit. Porrò margo anterior intrà coſtas latuit, quaſi a colo diſtento ibi ſuffulciretur. Veſica autem fellea nimis ampla et flaccida apparens, bilem medii, inter croceum et fuſcum, coloris magnâ copiâ retinebat. Pancreas ſanum fuit. Nec lien aliquid notabile, niſi molem auctam, prae ſe ferebat. Renes multò justò ampliores flaccidioreſque fuerunt; ſuperficies autem externae eorum rubefactae, vaſculis formoſè

diſtinguebantur;

diſtinguebantur; hydatis etiam ampla, in inferiore et poſteriore parte renis dextri detecta fuit. Vaſa renum ſanguifera praeter ordinem aucta fuerunt, venae emulgentis dextrae diameter, tres quartas pollicis partes aequare videbatur, et eò amplior apparebat quia ſanguine diſtenta eſt. Poſteà verò injectione prius per venas emulgentes unius renis abſque vi factâ hujus pelvis liquore colorato per tubulos uriniferos tranſeunte, repletus inveniebatur. Idem periculum in altero rene factum, liquore per arteriam injecto, eundem prorsùs eventum praeſtitit. Renes utrique anatomicè parati nil vitioſum exhibebant, è contrà, ſtructuram internam etiam clariùs et luculentiùs oſtendunt, quàm in iiſdem organis ſanis accidit. Ureteres et veſica urinaria incrementi renalis participes eſſe videbantur. Utrique capacitate aucti fuerunt, et poſterior parietum craſſitudine inſignis, urinâ ſemiplena inveniebatur.

Univerſus Thorax, pariter ac in aliis partibus, ubicunque aequo jure expectare liceret, adipe ſcatebat. Praecipuè autem inter mediaſtini laminas,

minas, ubi ab invicèm diſcedunt, ut ſupra diaphragma extenderentur. Pulmones nil morboſum prae ſe ferebant, in diverſis partibus, pericardio et thoracis parietibus leniter haerebant, tela eorum cellularis magis ſpongioſa et aëri pervia quàm plerumque obſervatur, apparebat. Cor pallidum et flaccidum, nulla incrementi ſigna oſtendebat, et venae ejus coronariae ſanguine nigrifactae, ſpatia interpoſita pallidiora reddebant. Cava ejus utrinque ſanguine atro abundabant, qui ferè totus tenuis defluxit; pars autem in dextro latere cordis paulò concretior, ſtagnabat. Glandulae pulmonum propriae, praeſertim apud tracheae bifurcationem, mole et mollitie notabiles, atro colore rutilabant. In thymi regione, racemus inſignis glandularum meſentericis ſimilium, oculos omnium ſibi attraxerunt, et quùm ſcalpello ſubjectae ſunt, aliquot concretiones calcareae ei obſtabant, una praecipuè quae inſtar fabae caballinae erat. Denique obſervari meretur, quòd per totum corpus, ne minima quidem putredinis ſigna ſeſe oſtendebant, quamvis quatuor dies mortem

mortem inter et tempus diſſectionis jam elapſi ſunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

Quoniam quicquid urinae proprietates reſpicit, me cauſâ in proximâ implicaret, rectiùs videtur, de hâc re praeſens in tempus ſilere. Igitur alia ſigna, quae quidem notabiliora eſſe videantur, explicare pro virili pergam.

"Urina ingeſta novem libris exuperans." Multorum tentaminum ad hunc exceſſum urinae explicandum, factorum, valdè ſpecioſum excogitavit Rutherfordus ingenioſus; ſcilicet, aëris atmoſpherici oxygenium et ſanguinis venoſi hydrogenum, intrà pulmones ad aquam formandam, ſimul concurrere. Et quià hydrogenum in hoc morbo ex redundantiâ chyli recentis augetur, plus oxygenii ſibi alliciet, undè ſanguis copiam aquae haud parcam, vel rectà, vel abſorbentium ope, attrahit. Hoc veriſimile videtur, et forſitan ſi ratio egeſtorum ingeſtorumque cum diſpendio quotidiano aequabilis ſervari poſſet,

ſet, haud impar ad urinae exceſſum explicandum inveniretur. Quidam verò huic opinioni parùm confiſi, abſorptione cutis rem explicârunt. Experimenta verò hùc ſpectantia, quae Gerardus facienda curavit, diabeticum plus humiditatis hoc modo non accipere, quàm ſanum demonſtrant.

"Potus deſiderium immodicum," pendit ab eâ lege, quâ, unâ ſecretione juſtò magis auctâ, omnes aliae, ratâ parte minuuntur. Saliva autem parca clariſſimè oſtendit, quàm benignitèr natura ſaluti noſtrae conſulat, ſitim ciens, ne corpus fluidis omninò privetur.

"Urina intervallis brevioribus redditur." Hic effectus oritur non ſolùm, ex copiâ urinae auctâ, ſed etiam à dotibus ejus mutatis; nam omnia in corpore liquorum receptacula, ſuis quaeque ſtimulis obtemperant, ſed etiàm per alienos, etſi mitiores, ad actionem nimiam cientur.

Jamdudùm univerſim conſenſum eſt, debitam urinae retentionem pendere, ex aequalitate reniſus corpus veſicae intèr et ejuſdem cervicem. Quanquàm enim, iiſdem prorſùs fibris muſculo-

ſis utraque ſupplentur; tamen eadem fibra curſum ſuum mutando et modum actionis mutat; uti in obliquo oculi ſuperiore obſervamus. Hoc modo cervix et corpus veſicae, una contra alterum vi reciprocâ renititur; et ſic, ſi una ullâ cauſâ debilitetur, altera ratâ parte praevalebit. Initio autem Diabetis, urinae ſtimulus inſolitus, ad majorem contractionem, cervicem veſicae ciet; dum diſtentio veſicae exindè oriens corpus ejus debilitat. Ex quibus cauſis ſimul disjunctimvè ſumptis, ſecundùm earum gradum, Iſchuria, Dyſuriave vel ſtatus plùs minùs ad has appropinquantes exoriantur neceſſe eſt. Eadem autem cauſa diutiùs applicata vim contractilem cervicis prorſùs aboleret. Hinc Enureſis aut ſtillicidium perpetuum, progrediente morbo ſaepè ſuboriuntur.

"Dolor circa lumbos perpetuus." Partim ex novo et inſolito ſtimulo, renibus et ureteribus applicato, partimque ex urinâ tam incitato curſu defluente, ut interdum aegro fluctuationis ſenſum impertire feratur, provenire veriſimile eſt.

"Alterius

" Alterius utrius teſtis retractio et cet." Ut in calculo renali forſan deducenda eſt, ex irritato muſculo cremaſtere, et utrum affectum referre videtur, ad nexum inter organa urinae et generationi inſervientia tam arcto, ut quicquid haec, illa quoque irritat. Quae communio bonam ex provectâ aetate illuſtrationem accipit.

" Ejuſdem lateris artùs inferioris ad paralyſin proclivitas." Quia plexus lumbaris a renibus in hoc morbo magnoperè diſtentis, compremitur; et quando eorum alter maximè dilatatur, ſequitur nervos ab eodem latere ortos, maximè compreſſum iri, et ſigna paralyſis oſtenſuros eſſe. Oedema autem oritur ex circuitu ſanguinis in hâc parte langueſcente, unde fit ut exhalatio in telam cellularem augeatur. Aſcitem autem et anaſarcam ex debilitate quam affert morbus, oriri, probabile videtur.

" Tumores hydropici ſubitò accedunt et evaneſcunt." Hocce phaenomenon indicat, vires abſorbentium in hoc morbo ubique corporis auctas eſſe. Macies ſubitanea idem arguit; et certiorem me fecit amicus omninò fide dignus,

ſibi

ſibi videre contigiſſe, cadaver quod huic morbo ſuccubuit, in quo non ſolùm fibrae muſculares, ſed etiam pars oſſium terrea, evidentèr haùd parvâ quantitate, abſorptae fuiſſent. Rebus ità ſe habentibus, concludere jus eſt, vaſa abſorbentia uti in Febribus, irritationis univerſae participes eſſe. Praetereà vaſa lymphatica ſimul cum glandulis ſuis, in mole aucta, aùt etiàm paulò inflammata, in variis corporis partibus ſeſe produnt. Hoc praecipuè in meſenterio apparet, cui ſolae cauſae aliqui diabetem relegarunt; chylus enim per lactea neceſſariò tranſeuns, propter actionem eorum morbidam, mutationem haùd ſanam ſubire creditur. At non ſolùm in lacteis, ſed etiàm in toto abſorbentium genere, ſigna actionis intenſae, ex ſtimulo materiei ſaccharinae in ventriculo evolutae, et indè per univerſum corpus diffuſae, originem ducere videntur.

"Calor circa praecordia." Benè explanari poteſt, ex calore edito per gaſa, dum in aquam rediguntur: "Calor autem abdominis," videtur oriri, partim ex humiditatis ſolitae deprivatione,

vatione, quae per vires naturae medicatrices ſit, ut fluida per renes demiſſa ſuppeditet, partimque ex ſignis inflammationis, quae forſitan in multis aliis, eodem modo ac in exemplo ſuprà memorato, inveniendae ſunt.

"Calor palmarum volarumque." Hae partes ſenſilitate acutâ praeditae, naturae lege, ſudore leni defenduntur, et ſic duobus vel tribus gradibus, reliquis frigidiores ſervantur, humore autem ſolito orbatae, minus caloris per vaporem diſſipatur, magiſque retinetur; papillarum ſenſilitate per ariditatem auctâ, ſenſus calòris magis acutus ſit.

"Cutis arida et ſquamoſa." Conſtat neceſſitudinem renes inter et cutem tam arctam eſſe, ut ſi ſudor profluxerit, urina proportione minuitur, et frigore corpori applicato, urina magnâ copiâ per renes defluit. In diabete autem cutis humiditate privata in rugas ſquamaſque abit, officio ſuo fungendo tam inhabilis evadit, ut ſenſilitatem prorſùs ferè amittat.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Si ſitis, cibique deſiderium, urinae profuſio, et alia huic morbo propria, ad hunc morbum reliquis dignoſcendum haud idonea eſſe videantur; certum ſignum praebet dulcedo urinae; ſive à ſpecie inſipidâ, ſive ab Hyſteriae comite, eum diſcernere velis, vel ab aliis urinae profuſionibus, quibus noſologi non aequè jurè quidem diabetis nomen indiderunt. Ab Enureſi verò facillimè ſecerni poteſt, quia diabete laborantes, ineunte morbo, urinam nunquam inviti excernunt, et poſtquam morbus longiùs duraverit, urina raró abſque dolore pleno rivo defluit, dum urinae dotes rem citrà dubii aleam collocant. Si quandò macies, cum virium proſtratione, nullo alio morbo comitante, graſſetur, diabeten adeſſe timendum eſt, haud morâ urinam experimento ſubjicite, et naſcenti occurrite morbo.

CAUSAE REMOTAE.

Cauſas quibus auctores ſedulò diabetem aſſignaverunt,

naverunt, ſaepe impunè fuiſſe applicatas, ſaepius verò aliorum et longe diverſorum morborum originem extitiſſe, magnoperè dolendum eſt. Hujuſmodi ſunt exercitatio immodica, praecipuè quùm corpus jam fractum ſit morbis chronicis, ut Intermittentibus. Exinanitiones, inter quas eminet intempeſtus veneris cultus. Nimia calidorum liquorum ut Theae vel Coffeae potatio. Uſus ſpirituum ardentium immodicus et plerorumque aliorum potuum, qui corpus debilitandi arguendi ſunt. Interdum convivia lauta et vina generoſa, in causâ fuiſſe dicuntur; ſaepius autem victus parcus et ſordidus, unde apud infimam plebiculam ſaepius quàm apud divites homines, occurrere dicitur; et prout in uno alterove ordine morbus ſeſe oſtendit, haud parùm variari videtur. Diureticorum, ſicut vini Rhenani, aquarum mineralium, cereviſiae ſuccum abietis continentis pleniores hauſtus, hunc morbum gignere habiti ſunt. Si ſaccharum, mel et ſimilia, ut morbi cauſae jurè culpentur, quo pacto accidit ut infantes et impuberes eum eludant? Frigus corpori, praeſertim prius ſolitò calidiori facto, admotum,

admotum, morbum inducere periclitatur. Sic a Cleghornio Glaſcuenſi mentio facta eſt hominis, qui in fornace calcareâ occupatus fuerat. Hic quinque aliorum opere ſe fungi poſſe jactabundus, nimis calefactus in humidam terram ſe conjicere ſolitus eſt, ibique manebat, donec ſomnus obrepſit. Tandem verò diabete gravi correptus, temeritatis ſuae quùm ſerius eſſet, eum penituit. Hùc referri oportet, quòd tot qui in lintea dealbando occupari, vel herbarum ſuccos, igne ſubjecto, elicere, ſoliti ſunt, diabete affecti ad noſocomium hujus urbis regium confugerunt. In hoc autem caelo incerto, ubi frigus cum calore ſubitò alternat, frequentiùs quàm meridiem verſùs, occurrere fertur.

Pathemata etiam mentis deprimentia, ſcilicet metus, moeſtitia et cet. in causâ fuiſſe dicuntur; potiùs verò morbi effectum ea habere videtur. Interdum cum paralyſi complicari aut ei ſupervenire diabetes dicitur, Lumbagini quoque et Exanthematis ſucceſſiſſe fertur. Nec deſunt qui renum irritationem, nimirùm eorum morbos, quales ſunt, inflammatio, abſceſſus, et calculi,

quinetiam

quinetiam alvum aſtrictam, faeces in colo coaggerando et renes premendo, hanc affectionem generare opinantur. Mihi autem veriſimile videtur, has cauſas vel caſu tantùm huic morbo accidiſſe, vel in decurſu ejus ortas fuiſſe; quouſque verò ad morbi vires augendas conducant, haud facilè explanari poteſt. Diabetes ſaepe aſciti ex ſcirrho hepatis ſupervenire, eidemque mederi obſervatur; ipſe autem viciſſim per pneumoniam et alias pyrexias in melius evadere dicitur, his autem diſcuſſis vi haud imminutâ regreditur. Gregorio auctore Diabetes mellitus interdum ab inſipido originem ducere poſſit.

CAUSA PROXIMA.

Omnes qui ad ſummos honores almae hujuſce Academiae evehi volunt, de rebus dubiis eâ quae decet modeſtiâ, ſententiam in lucem proferre jubentur. Talem veniam mihi datum iri ſperans, de causâ proximâ Diabetis pauca pro virili differere pergam. De hac enim omninò ſilere timoris effectus haberetur. De diverſis et

quaſi prorſus contrariis opinionibus agere, mihi haud in animo eſt. Duae autem de quibus adhùc ambigitur, paulò fuſiùs exponi merentur, caeteris jampridem, multâ eloquentiâ ac libertate ab aliis refutatis.

Ex quo primùm audivi, renes ſaccharum formandi munere fungi, fatendum eſt mihi admodùm mirabile ſemper apparuiſſe. Quùm in animo perpendatur, organa ipſa urinam, fluidorum corporis humani ſimpliciſſimam, imò etiam ſaepiùs aquae fontis haud longè diſſimilem, ſecernere; Terebinthinam, Rheum, bilem, aliaque per renes colore aut odore parùm mutata tranſire; renes poſt mortem molles flaccidos fieri, et officio ſuo fungenda adeò inhabiles apparere, ut potiùs quaſi per cribrum partes ſanguinis tenuiores demittere videantur. Quinetiam (ut verbis eorum utar, qui renes quaſi ſedem morbi primariam acerrimè vindicant) quùm videamus, lac fluidorum in corpore humano facillimè mutatum, exitu tamen naturali negato, integrum per renes demiſſum; veluti mammae vicifsim in Iſchuriâ, urinam interdùm

per

per eas tranſire permittunt. Porrò quùm conſideremus, ſecretionem ipſam in hoc morbo adeo crudam indigeſtamque eſſe, ut urinae nomen non mereatur: Aliae quoque ſecretiones quae in diabete plùs minùs ſacchari continent, ſaliva nempe et ſudor aliaeque forſitan: Nec aliquis ſanus diceret, vim ſaccharum formandi glandulae ſalivariae ineſſe: Denique ipſi renes urinam integram ſubitò ſecernunt, poſtquàm diaeta animalis inſtituta fuerit; quod ſolùm ſine auxilio rerum per renes injectarum, hypotheſin renes aliquo modo, eſſe perturbatos, radicitùs eruere poſſet: His rationibus ritè perpenſis, ſimulque morbum eſſe totius corporis, in quo nulla ferè pars mali univerſalis non particeps eſt, ſecum etiam atque etiam reputatis, homines cauſam hujus morbi proximam alibi inveſtigare adducti fuerunt. Et quia in plurimis caſibus ventriculi affectus praegreſſi inveniebantur, cauſaeque remotae tales erant ut vel protinus ad ventriculum, vel quamvis ad totum corpus applicatae, per conſenſum illum mirabilem, ventriculum inter et alias corporis partes, huic viſceri praecipuè

puè inſeſtae eſſe videbantur; denique autem appetentia cibi ingens, ſimul cum pravâ ejusdem (praecipuè ſi vegetabilis erit) ſolutione conjuncta, aliquid vitii digeſtionis indicans; haec omnia, inquam, Rollonem et alios ventriculum vituperare neceſſariò impulerunt. Dum autem, ſucci gaſtrici indolem, aut modum quo digeſtio in ſano corpore perficitur, tam imperfectè adhùc cognoſcamus, quicquid de hujus functionis morbo dicere poſſumus prorſùs conjecturale erit. Creſcente tamen indies lumine ex chymicâ ſcientiâ orto, ſperare adducimur, indagationes hùc tendentes, indolem ſcilicet veram ſucci gaſtrici inveſtigare, brevi inſtitutas fore; quaſnam mutationes ſubit? aut quibus cauſis mutari poſſit? quomodo accidit, ut in variis animalibus varia ciborum genera ſolverentur? dum in homine valenti, omne genus cibi in maſſam uniusmodi redigitur; quânam ex causâ oritur, quòd res vegetabilis tantos tumultus in ventriculo diabetico cieret? quamvis materies animalis aequè benè aut etiam meliùs quàm in eodem ſano concoquitur. Scimus autèm naturam ſucci gaſtrici, ex ſtatu

ſtatu fibrarum motricum ventriculi imprimis pendere; ſic quicquid vel corpus vel ventriculum debilitat; defectûs liquoris gaſtrici et in dotibus ejus et in copiâ forſan, cauſa erit, qui poſteà ſeſe manifeſtat multis dyſpepſiae ſignis ſtipatus; pari autem ratione concludere fas eſſe videtur, ventriculi actionem abnormem et nimis auctam, haud diù perſiſtere poſſe, ſine quâdam liquoris gaſtrici mutatione et in proprietatibus et forſitan in copiâ ejus auctâ ſe oſtendente.

Ex phaenominis autem morbi ineuntis, ructibus nempe acidis, tumultu flatuque circa regionem ventriculi ſentitis, denique * ex rebus quae antehàc tres dies ingeſtæ fuerant per vomitionem rejectis, ne minima quidem ex parte mutatis, dum eadem cibi appetitio vorax manſit; his ſimùl ſumptis, clariſſimè apparet ſuccum gaſtricum aut vi antizymicâ privatum fuiſſe, aut potiùs in hoc morbo fermentationi favere. Omnia enim vegetabilia, ſacchari principia habentia, ſi in loco cui favent calor, humiditas et aër atmoſpheri-

cus,

* Rollo, in loco citato.

cus, ſint ſita, in fermentationem tendunt. In ventriculo autem valenti, tali proceſſui ſuccus gaſtricus obſtare poteſt. Scimus verò primum fermentationis vinoſae ſtadium, ſaccharum in materie vegetabili latens evolvere; quod ab lacteis abſorptum omnia ferè morbi phaenomena explicare poteſt. Etenim ut in dyſenteriâ, et in febribus, quandò aliquid exitii corpori immineat, novi motus ad hoſtem per vias idoneas depellendum cientur, ſic in diabete renes in actionem arceſcuntur. Verumenimverò ne dicere auſim, ſaccharum hujus morbi cauſam eſſe; effectus potiùs videtur ejuſdem pravae digeſtionis, quae chylum proprium et qui in animalis corpus aſſimilari poteſt, formare nequiret.

Opinioni autem quae ſaccharum in ventriculo evolvi docet, experimenta quae à Doctore Hope nuperrimè facta ſunt, primo aſpectu obſtare videntur; nam in ſanguine diabetico, nec ante evaporationem nec poſt eam, aliquid dulcedinis guſtari poteſt. Authoritati tam gravi cederem, ſi non è contrariò affirmatum eſſet, ſanguinem diabeticum aliquantùm dulcedinis continere inventum eſſe.

Nemo

Nemo autem inficias ibit, quaſdem ſaltem, in pleriſque exemplis, ſanguinem peculiares dotes oſtendiſſe. Nec mirandum eſt ſaccharum in ſanguine ſaepiùs haud percipi poſſe, ubi cum tantâ farragine liquorum dulcedinis guſtui inimica, miſcetur. In ſanguine praeterea latiùs diffunditur, quàm in latice per renes cujuſlibet ſalini emunctoria ſecreto. Quinetiàm obſervandum eſt leviſſimam febriculam, non ſolùm in ſanguine ſed etiàm in urinâ, inſignes mutationes producere poſſe, et ſi per ignem ſaccharum molem in minimam redigere conemur, incertum eſt quin materies ipſa ſaccharina unà cum ſanguine in vaporem ſublimetur; proceſſum autèm ipſum aliquid fallaciae comitatur: eodem modo quo accidit, in pleriſque periculis vi igneâ factis. Praeterea materies ipſa minimè grata, organo guſtus prae omnibus vario incertoque ſubjicitur. Timeo autèm ne ultra opus tendam; et ex hâc lite pedem proferre feſtino, ut opinionem tradam, quae quidem, ad ſymptomata, omni ex parte quadrare videtur.

Proxima Diabetis cauſa (ne multa dicam) oritur,

oritur, ex morbidâ et abnormi fibrarum motricum ventriculi actione, ſuccum gaſtricum ad idoneam materiei vegetabilis concoctionem, et fermentationem compeſcendam, imparem reddente. Quae in aſſimilationis aliquo defectu et in ſacchari formatione ſeſe oſtendit. Hinc autem, urinae, ſalivae, et forſitan omnigeni è ſanguine ſecreti liquoris dotes peculiares, et malorum ſeries longa proveniunt.

PROGNOSIS.

Priuſquàm notum fuit quantae vires, dietae e regno animali petitae ſint, judicium de hujus morbi eventu erat ſemper infauſtum. Pauci quidem eorum quos Rutherford, artis noſtrae ſcientiâ nemini ſecundus, curavit, ad ſanitatem reducti ſunt, ſed brevi poſtea recruduit morbus. Quoniam autem morbum, poſtquàm diù duraverit, et ubi ferè ad extrema ventum erat, fauſtum ad exitum Rollo perduxit, jamque aegrotus biennii ſpatium perfectâ ſanitate uſus eſt, diabetes inter medicorum opprobria non amplius

plius enumerandus. Et ſi plura exempla ſint hujus morbi citò poſt curationem eandem adhibitam redeuntis, utrùm medicamenti vel aegri culpae morbi reditum attribuere, incertum eſt.

Quae cum ita ſint, prognoſis de hujus morbi eventu hodie quàm olim magis fauſta eſſe videtur, praecipuè verò priuſquam morbus penitus inveteraverit, nam quò diuturnior fuerit, eò mortis expectatio certior fit. Quo plus etiam materiae ſaccharinae cum urinâ excernitur, eò citiùs ſupremus dies timendus eſt. In juvenibus et vigentibus eventum feliciorem praeſagire poſſumus. In ſenibus, verò et praecipuè in iis quorum corpus ſtudiis continuis, vigiliis, vinolentiâ, vel aliis modis jam fractum ſit, prognoſin, maximè infauſtam eſſe, affirmare poſſumus. Judicium ex copiâ urinae deductum, magis incertum eſt, quàm ſi ejuſdem dotibus regamur. Morbus enim (uti à Riverio docimur) perfectè formari poſſit, et etiam ad finem ultimum proficiſci, abſque copiâ urinae, ultra quod naturae conſentaneum eſt, auctâ. In nul-

lo forſan morbi ſtadio, fauſtum praecinere debemus. In ſtadio ſecundo, quando ventriculi vires languere incipiunt, prognoſis infauſtior exoritur, namque timendum eſt, ne hoc niſu ſalutari ſpontè deficiente, macies ſubitò ad extrema rueret. At poſtquam Hectica, ſudoribus viſcidis aut diarrhoeâ colliquativâ ſtipata, jam inſederit, credo nullum exemplar, ex tali rerum ſtatu ſuperſtes, adhuc nobis traditum eſſe.

CURATIO.

Ex paucis de prognoſi dictis ſatis conſtat, quo celeriùs ipſis principiis morbi occurritur, priuſquam corpus ad medelam tolerandam impar factum ſit, eò citiùs, jucundiùs et tutiùs ad finem fauſtum eum perduci poſſe. Conſilia medendi tria in hoc morbo indicari videntur.

1*mo*, Materiae ſaccharinae formationi obviam ire.

2*ndo*, Novam et aequam actionem ventriculo reſtituere.

3*tio*, Corporis debilitati occurrere, et vires vitae renovare, ſimulque ſigna urgentia amovere.

CONSILIUM PRIMUM.

Quoniam omnia hujus morbi ſigna, pro ſacchari cum urinâ excreti portione ingraveſcunt, quamprimùm contrà ejus formationem ſummâ ope niti decet. Hinc omnia cibi genera, quae ad hujuſcemodi materiem formandam conferre poſſunt, evitare adducimur, praecipuè autèm fruges in fermentationem proclives. Imo etiàm omnia, quae ſacchari elementa praebent amovere, ſimulque materiae animalis principia largè ſuppeditare debemus; tametſi enim omnia medicamenta quae ammoniâ vel azotio ſcatent, ad cohibendam vel ad corrigendam ſacchari formationem haùd parùm pollent, non ſatis diù in eorum uſu perſiſtere poſſumus, et tantùm praeſens in tempus auxilium afferre videntur, quibus amotis dum cauſa manet, vi haud imminutâ morbus redibit. Ob has cauſas patet, diaetam è regno animali confectam praecipuè indicari, et

quia

quia non ſolùm vi ſacchari formationi occurrendi fruitur, verùm etiam tali proceſſui inimica et repugnans eſſe videtur.

Ad eandem quoque indicationem pleniùs implendam, praeſertim ad ingluviem initio morbi compeſcendam, carnes adipoſas, rancidas, et praecipuè porcinas, adhibere invitamur, et forſitan piſces, ſicut clariſſimo Monro viſum eſt, namque quia citiùs in putredinem ruunt duplici ratione utiles ſunt. Haec omnia, meâ opinione cautè adhiberi debent, ne ventriculus in alteram partem nimis peccaret, et ſigna ſcorbuti ſupervenirent. Quinetiam omnibus modis et victum ſubindè variando et partitis vicibus ſumendo contrâ faſtidium cavendum eſt. Nihilominùs tam perditi et in perniciem ſuam intenti, aegri hoc morbo laborantes videntur, ut nullis monitis, nullâ vi, à materie vegetabili ſeſe diù cohibere poſſint. Obſervandum eſt, hoc primum conſilium ritè et maturè exequendo, multas anguſtias evitari, et caeteras indicationes minùs neceſſarias fieri. Annòn hanc indicationem explendo, morbum omnino depellere ſperemus,

mihi

mihi, qui nondum eum tractavi, haud deceret afſirmare *. Probabile autèm videtur, ſi materies ſaccharina largè ſuppeditaretur, omnia remedia fruſtrà adhibitum iri.

CONSILIUM SECUNDUM.

Remedia, quae ad ventriculi bonam et æquam actionem conducunt, ad duo genera referri poſſunt, proùt vi narcoticâ aut roboranti pollent. Illa

* Dum huic diſſertationi ſcribendæ operam navarem, certior ſum factus feminam ætate provectam et mihi cognatam, jam ex hoc morbo convaleſcere. Simul ac audivi eam diabete laborâſſe, medico curanti haùd morâ Rollonis libellum tranſmiſi, et omnes regulas ibi poſitas, quàm accuratiſſimè potuit obſervando, omnia morbi ſigna antea benè notata, anno jam vertente, in toto evanuere; nec ſibi ipſi nec alicui ſuaderi poſſit ullo malo diutiùs laborare. Maciem praeterea priùs inchoatam, tametſi appetentia cibi permagna ſemper adeſſet, nunc pinguedini proclivitas priſtina excepit. Nihilominus in eodem curſu perſtare jubetur. Nil enim ſubitò contrà malum totius corporis efficax fieri poteſt.

Illa morbidam ventriculi actionem pacandum utilia eſſe videntur, haec ejuſdem naturalem actionem renovandum. Si ex cibi appetentiâ immodicâ, dum corpus in maciem praeceps ruit fas erit inferre, aſſimilationem haùd ritè perfici, igitur ad cauſam hujus vitii praecipuè animum intendimus. Quoniam autem notitia noſtra de hàc functione haud ultrà primas vias extenditur, intra hos limites oculos retinere compellimur. Et quandoquidem ventriculus, hoc morbo incipiente, citiùs quàm valetudini conſentaneum eſt, ſe exonerat, dum digeſtio tam malè perficitur ut chylum proprium formare nequit, narcotica ad morbidam actionem ſedandam praecipuè indicari videntur.

Huic propoſito ammonia hepatiſata probè parata, aquae ammoniae purae (Ph. Lond.) aërem hepaticum conſociando, optimè reſpondit; non ſolùm actionem ventriculi et totius ſyſtematis irritationem minuendo, ſed etiam (ut Rolloni et aliis videtur) ſacchari formationi obſtando. Cavendum eſt autem, ne doſis initio guttas quatuor ex cyatho aquae ter quaterve indie excedat; atque haec ipſa doſis vertiginem nauſeamque inducere,

ducere, et cordis arteriarumque micationes minuere poſſit. Eundem ferè effectum quamvis non huic aequalem, lixiva vitriolata praebere dicitur; omnia autem medicamenta, acidum ſulphuricum continentia, renes nimium irritare videntur. Ex regno vegetabili quoque digitalis et nicotiana vi ſedativâ gaudentia, primo morbi ſtadio, quùm effectus narcoticos vellimus, tentanda ſunt. Obſervandum eſt ineunte morbo, ſi ſigna diatheſis phlogiſticae adſint, ſi pulſus durus et plenus ſit, praeſertim autem ſi ſigna irritationis in renum regione obſerventur, ad venaeſectionem jurè decurrere. Inter prima morbi ſtadia, emetica vel ad plenam vomitionem, praeſertim ſi cruditas adſit, ſimulque ad morbidam ventriculi actionem rumpendam, vel ad ciendam nauſeam, et ſic diaphoreſin promovendam, indicari videntur. Ad utrumlibet finem antimonium tartarizatum ipecacuanhae, quae ſubitò et pro tempore tantùm agit, meritò praeſtantiùs habetur. Vinum antimonii tartarizati cum tincturâ opii conjunctum multas virtutes poſſidet.

Hiſce

Hiſce remediis inaequali et morbidâ actione ventriculi ſedatâ, ad alteram et quaſi diverſam medendi rationem progredimur, nempe ut fibras motrices ventriculi roboremus, ſimulque earum bonam et aequam actionem ciamus. Hoc conſilium ut impleamus, eundem curandi tenorem quem in dyſpepſiâ obſervamus. Tonica, aſtringentia et ſtimulantia largè ſuppeditanda. Inter tonica cinchona, ferrum, eorundemque praeparata optima eſtimantur. Kino, catechu, et alumen inter caetera, vi aſtringenti inſigniuntur. Amara quoque ſubinde praeſcribi poſſint, praeſertim ingraveſcente ſiti vel nauſeâ, quam excitat cibus animalis. Hiſce jurè annectuntur ſtimulantia leniora, viz. ſerpentaria, colombove. Tinctura autem cantharidum, quae tam multos fautores habuit, vim nimis ſtimulantem, et organis urinae praecipuè infeſtam, poſſidere mihi videtur.

CONSILIUM TERTIUM.

Prior pars hujus indicationis, per diaetam et remedia roborantia jam tractata, ſatis impleri videtur.

detur. Caro enim maciei obviam ire invenitur. Ventriculo autem actionem ſanam reſtituere nequimus, ſine vires vitae eodem tempore renovando. Poſtquàm fames inſatiabilis pacata fuerit, nequid ambigui ex ſtatu ventriculi oriatur; balneum frigidum, et ſub dio exercitium, toti ſyſtemati vigorem reſtaurare, et praecipuè vaſorum cuticularium actionem excitare obſervantur. Eodem conſilio divites ad Seltzer vel alio, ubi aqua cum acido carbonico imbuta eſt, ſeſe recipere jubemus.

Signa quae praecipuè urgent, ſunt ſitis, alvus aſtricta et ventriculi aciditas. Omnia argumenta pro uſu cibi animalis adducta, et potum paritèr reſpiciunt. Quippe qui tantâ copiâ ingeſtus, ut multum beneficii aut multum mali exindè contingat oportet. Omnes liquores ſacchari principiis onuſtos, aut fermentationi morbidae in ventriculo fàvere idoneos, evitare adducimur. Ideo decocta carnis cum aquâ calcis quaſi ſponte in mentem veniunt, et eadem uſus comprobavit. Quò autem praeſtat ullus in hoc morbo potus, tantò majori

 nauſeâ

nauſeâ ventriculus contra eum reniti videtur. Hinc venias quaſdem, nec inſciis nobis nocivas, concedere cogimur. Scilicet potus eorum acido aut vino imbuere, etiam juxta arbitrium liquorem variare. Solamen autem unum nobis manet, quòd, prioribus conſiliis fidelitèr perpetratis, hoc ſymptoma indies leviùs redditur.

Si diaeta et regimen anteà praeſcripta, alvi obſtipationi obſtare imparia ſunt; ad oleum ricini, infuſum tamarindorum cum ſennâ, vel ad aloen cum ſapone pilulae formâ decurrendum eſt. Monendum tamen eſt, auxiliis fortioribus plerumque opus eſſe. Nec unum diem elabi ſineremus, ſine alvi dejectione. Tanta enim alvo aſtrictae, in hoc morbo proclivitas eſt, ut colicam etiam Pictonum interdum aemulari videretur. Teſtis eſt exemplum ſuprà diſſectioni ſubjectum, teſtes et multi alii eodem malo perempti. Quò obnixiùs contre tale ſignum nitendum eſt. Non ſolùm quia ſanae ventriculi actioni obſtaret, ſed etiam quia faeces in colo coaggeratae renes neceſſariò premunt, hiſque

anteà

anteà nimium irritatis, magis adhùc irritaminis forent. Aciditas per aquam calcis rectiùs obtunditur. Nam Gregorius aſſerit ſe hâc ſolâ exhibitâ, urinam et quoad dotes copiamque, intra naturae limites revocâſſe. Cutis halitus, qui in hoc morbo ferè ſupprimitur, vi pulveris ipecacuanhae compoſiti renovari tentandum eſt; ſimul induſium laneum et linimentum aquae calcis in auxilium vocari debent. Strigiles quoque, quando corpus potentiora remedia ferendo inhabile factum ſit, humores ex renibus ad ſuperficiem uſque, divertere haud parum valeant; multo etiam cum fructu balneo tepido adjunguntur; quippe qui ſquamas rugaſque cutis ſummovent, et ad functiones ejus renovandas conducunt.

Omnibus auxiliis, quae in hypochondriaſi utilia eſſe inveniuntur, animum hilarem reddere conandum eſt. Animi enim pathematis etiam leviſſimis urina afficitur. Quicquid dejicit cautè ſummovendum eſt, omniaque aegro grata debent.

T A N T U M.